Dæmon Academicus.

Syntagmata Theosophica

Anteambula Velitatio:

Utrum Dusij, seu, ut vulgò dicimus Duendes Dæmones sint?

BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA

BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA

Conclusio I.a

Dæmon Creatus.

Tenebrosi Principis Theses elucidantes naturam a 1.o Creationis diluculo exordimur, ne cæcutientes in vestibulo gressus ultrà dirigere vetemur. Igitur dæmones, seu, quod magis probo, Dæmones non ab æterno, sed in tempore, 1.a sc; nascentis mundi die Creati sunt à Deo, non differentes specie, sed plures ejusdem speciei, et solo numero differentes. Non ante mundum corporeum, sed una cum ipso, quidquid mussitent aliqui; non in Cœlo Empyreo, sed in sydereo illico tiquo: non denique Corporei, constantes tamen compositione generis, et differentiæ, Essentiæ, et Existentiæ, Naturæ, et Personalitatis, subjecti, et accidentis. Creati in statu Beatitudinis naturalis non sunt, qui tamen, præcissa elevatione, esset Beatitudinis naturalis. Neque etiam in Supernaturalis Beatitudinis statu, et si potuerint hoc modo Creari, si Deus hoc decerneret. Imo Creari ita potuerunt, ut in 1.o Creationis instanti miseri essent miseria pœnæ, quæ non supponit Culpam. Eo, quo Creati sunt modo, secundum naturam in perpetuum sunt extituri, nulli que interitui subjacebunt unquam, incorruptibiles enim sunt, et imortales ex suis principijs intrinsecis, licet respectu Dei potentiæ Corruptibiles sint, illos, si velit, in nihilum redigere potentis. Quemlibet suo insignitum nomine verosimilius existimo.

Conclusio II.

Dæmon Peccans.

Cum produci non possit Creatura ex naturà sua impeccabilis; mirum non est nobilissimas hasce, Dæmones sc, turpiter a Deo recedendo deliquisse. Istorum peccatum eē potuit in 1.o instanti; et si nullus pro tunc peccasse censendus sit. Suasore Lucifero Cæteri Corruère; ipsum que perduellionis principem impudentissime secuti desecerunt à Creatore, illo tamen tempore posteriores. Luciferi primum peccatum inordinatus fuit amicitiæ sui ipsius amor: Amor itidem Concupiscentiæ supernaturalem sibi Beatitudinem appetendo; inordinatus tamen hic Cum amicitiæ, tum Concupiscentiæ amor superbia non formaliter fuit, et proprie, sed radicaliter, et improprie dicta. Etiam Invidiæ nævo Conspurcatus agnitam Unionem Hypostaticam affectavit. Omnium peccatum vel ex aliqua, vel Cum aliqua inconsideratione fuisse teneo.

Conclusio III.

Dæmon Punitus.

Sequitur superbos ultor à tergo Deus. Igitur peccantes Dæmones acerrime pro peccati enormitate punivit: non tamen in eodem instanti, quo deliquère. Contrarium tenentes derogant Divinæ Bonitati. Aliqua ex parte in Culpæ supplicium illorum intellectus obtenebratus est. Datur ad eorum torturam destinatus locus, Infernus sc, quidquid oblatrent Acatholici. Quid tamen? detrusi ne post peccatum sunt in hunc locum? Certum de Fide est, quamplures in hoc aere versari; quos igne vero torqueri asserere Compellor, Cogor que. Qui tamen ignis hic torqueat, an per alligationem, an immittendo in Dæmones calorem, an vero qualitatem spiritualem eorum substantiam obedientialiter turpantem? melius est dubitare, quam definire; quapropter lubens eorum sententiam amplector, qui veritatem Circa hoc nesciri autumant. Damnis et ibi frigus et tenebræ dire damnatos spiritus divexantes. Tristitia etiam maxima infelices agitantur Dæmones non ad damni pœnam, sed sensus spectante, adeo que intensa, ut vel minimum respuat solatium, extremque lætitiam fugat: Unde necessaria, sponte que labili Consequentia deducitur, qua Dæmones esse negat quibusquot lætantur. Sed de hoc sit

Conclusio IV incidens

Dæmon non Dæmon, sed Duende

à Novam, miram que Rempublicam à Dæmonum Imperio vendicamus, et delitescentem hactenus progeniem, et si invisibilis sit, in lucem damus. Hi Dusii sunt, seu, ut vernacula utar, Duendes. Horum existentiam multiplici, evidenti que fundamento convincam. Quæris, ne quid sint? Supposito tanquam Certo, aliqua existere animalcula ex sola putrefactione orta; item que alia dari saltem secundum quid Vivum fugientia; respondeo, proferendo veram, rigorosam que Dusiorum definitionem in hunc modum: Est animal invisibile secundum quid stare loco nesciens. Possunt Dusij Commodissime intra humanum Corpus generari, itemque modico impulsu in aerem elevari naturaliter, naturaliter sumpto prout distinguitur à miraculoso, non vero à violento. Illorum materialis causa, quemadmodum, et reliquarum Compositorum, materia prima est: formalis vero est forma Duendina. Causam Efficientem, principalem que Deum esse tenemus, quatenus Causa prima est: Deum etiam illorum Causam Finalem ultimatam esse asserimus, non ultimatam vero esse hominum vitam, commodum que. Generant ne Dusii? placet affirmare; regulariter tamen hoc accidere negamus. Illorum victum alium assignare non arridet præter Vapores Crassos, aerem que: Et si possint totam vitam absque potu transigere, bibunt tamen. Respirant etiam, dormiunt que? Quot vero horis? dicerem tota die, et forsan diutius, Cum peioris conditionis non sint, quam glires, quibus tota dormitur hyems. Deficiunt tandem, morti que occidunt partim ab intrinseco, ab extrinseco partim.

Conclusio V.

Dæmon Regnans.

Ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Pro certo habendum est politicum inter Dæmones intercedere principatum, qui quidem in perfectione naturæ ipsorum fundatur, consummatur autem et veluti completur, partim ex communi eorundem consensu, partim ex ordine Divinæ Sapientiæ, ac Providentiæ. Reipublicæ hujus Gubernator Lucifer est, tanquam Archidæmon, seu Dæmonarcha. Non ideo, quia perfectior secundum naturam sit, principatum obtinuit: fuit enim supremus infimi ordinis tertiæ Hierarchiæ, sed quia, ut pote protervior, aptior erat ad Regimen. Cæterorum munera accipe. Dantur tres Anti-Hierarchiæ, et novem Anti-chori; Primi Anti-chori principes primæ Anti-Hierarchiæ sunt Pseudothei, quorum munus est avidè adorationes ambire: Horum dux est Beezebub, i, Vetustus Deus. Secundus Antichorus Anti-Hierarchiæ ejusdem componitur spiritibus mendacij: Illorum ductor est Python, i, Deceptor. Hi sunt, qui per Oracula loquuntur. Tertium Antichorum componentes sunt Vasa iniquitatis; Belial Præsidem agnoscunt, i, sine jugo. Ad hos pertinet malarum artiū inventio. Primus Antichorus 2.a Anti-Hierarchiæ sunt Ultores scelerum: Asmodæum principem recensentur, qui interpretatur: Faciens judicium. Hi sunt qui malefacta ulciscuntur. 2.m Antichorum constant Præstigiatores. Militant sub Satana, i, Adversario. Imitantur miracula, Cacomagis inserviunt, et maleficis. 3.us Antichorus componitur ex Potestatibus aereis. His imperat Meririm, i, Meridianus. Excitant tempestates, tonitrus, fulmina &c. Primum Antichorum complent Furia. Iis præest ΑΠΩΛΛυον, i, Exterminans: Seminant discordias, bella &c. 2.m Antichorum ejusdem 3.a Anti-Hierarchiæ integrant Criminatores. Hos ductat Astaroth, i, Divitiæ. Hi sunt tentatores et si hoc munus eis non absolute conveniat. 3.m Antichorum efficiunt Tentatores, quos regit Mammon, i, Cupiditates. Horum nomen sat ministerium indicat. Neque videatur otiosa hæc Reip. digestio; si enim Satanas in se divisus est, quomodo stabit regnum ejus?

BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA

Conclusio VI.

Dæmon Apparens.

Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Certius quamvis probatione suffulciam, Dæmones apparere posse, apparuisse que non semel. Apparent ergo visibili in Corpore, et sensibus perceptibili, quod vere tangi, palpari que potest. Assumpta non efformant corpora in materia cælesti, vel pure elementari, [illegible] secta, qualis ab agentibus naturalibus induci potest. Materiam hanc vel nubem, vel vaporem esse tenendum est. Apparere posse, apparuisse que in demortuorum Cadaveribus et ratione, et historià propalabo. Non tamen ea Corpora, et si moveantur, vivificari dicimus à Dæmone, Cum vitæ restitutio, præsertim in hoc Casu, solius Omnipotentis Dei opus sit. Colores, quibus assumpta hæc depingunt Corpora, veri, reales que sunt, longe ab iis, quibus aut Columbæ occiput, aut Cameræ Iridis somnia variegatur, differentes. Virtutem talia effingendi Corpora soli Deo tribuere, Dæmoni que negare, est Deum tacitè illiberalitatis in re tam parva insimulare. Vel mortuorum hominum assumat Corpora, vel phantastica Compaginet, nullus adeo obesæ mentis, puto, Credendus est homuncio, qui fucum, dummodo diligenter attendat, non deprehenderit. Assignabimus inquirenti, qui id fieri possit. Is non unitur spectris per modum formæ informantis, nec per unionem hypostaticam, sed illis veluti motor assistit. In assumptis larvis, eas, quæ per Corporis motum fiunt actiones, exercere solummodo potest, non vero quæ a sensitivis, aut vegetativis facultatibus necessario proveniunt. Non etiam perfectum animal generare per se potest. Possitne incubus, aut succubus generare? hæsito; propter authoritatem tamen Augustini de Civit. D. l. 2. c. 21. affirmativæ parti, negativa non spreta, calculum adjicio. Nasci igitur proles ex incubo Dæmone, et muliere, dicenda est; non tamen verus Pater Dæmon erit, sed is a quo decisum sperma detulit. Certissimum tamen judico prolem minime nasci posse a viro incubo, et succubo Dæmone. Aniles quasdam fabellas in contrarium adductas risu potius, quam rationibus excipimus. Nunquam Agni, Columbæ, ovis ve specie Apparuit, Cujus rei succulentissimam rationem assignabo. Sphynx illa Thebana, si fuit, Dæmon fuit. Dantur etiam Dæmones Ignei, Aerei, Terrestres, Aquei, subterranei, Lucifugi, et Mettalici in fodinis degentes, ibi que sæpenumero Apparentes. Dryades, Hamadriades, Napeæ, Lemoniades, Dorides, Nereides, Potamides, Naiades, Lymnades, Oreades, Anigrides, Dæmones non sunt sub his formis apparentes, ut male aliqui indefessi Dæmoniorum fabri effutire non piget. Tritones itidem, non Dæmones sed monstra dicendi sunt, Idem intellige de Faribus, Penatibus, Faunis, Tityris, Sylenis, Semicapris, et Sylvanis. Centauris, Onocentauris, Hyppocentauris idem accommoda; Harpiis itidem, et Syrenibus; has tamen (Syrenas sc.) non marina, sed volatilia monstra esse defendam. Satyros autem pro hominibus habitos ad eandem monstrorum Categoriam pertinere ad Stituimus. Si interroges, quid de Satyro illo a D. Antonio in Eremo viso sentiam, dicam. Delira Rabbi Abraham de Satyrorum Creatione sententia, sicut et insana illorum existentiam negantium opinatio, rejicienda est; Cum Certissimum sit tales existere

Feria tertia

H-5-35
B-7-56
No 9
No 33
55 M
no 35
19
BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA
BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA
BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA
BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA
BIBLIOTECA NACIONAL LISBOA